



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 70. Et Ecce unus ex his qui cum Iesu erant, extendens manum exemit
gladium. v. 51.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tantæ cathastrophes? una invidia Pharifæorum, peccata Iudæorum, inexhausta auaritia discipuli Domine quæ tanta charitas in me? tu perdis tuam libertatem, ut me vinctum solvas à peccatis, & liberes à diabolica potestate? quid igitur tibi rependam? præter gratias debitas me tibi ita alligo, addico, constringo de uoueo in perpetuum seruum & mancipium irrevocabiliter, ut nunquam liceat separari à te, & si fors per peccatum separatio eheu! aliqua fiat, iam & ex nunc doleo pro tunc, & ex hoc momento revoco quidquid fecero contra te aut mandata tua, & revocatum volo ex nunc in perpetuum cum lacrimis & pœnitentia vehementi atque humili corde gratiam tuam imploro.

§. 69. *Et tenuerunt eum. v. 50.*

Ligatum scilicet, colaphizatum, sanguineo sudore madidum, trahentes eum ex hortu pervia, per amnem Cedron ad locerum Caiphæ Annæ primum, ab Anna ad Caipham Pontificem, à Caipha ad Pilatum Præsidem, à Pilato ad Herodem Regem, iterum ab Herode illudum ad Pilatum in prætorium, de prætorio ad montem Calvariæ ibique Crucifigendum. Vnde non tam ad horum aliquem ducebatur, quam ad mortem.

O Deus vita, spes & unica salus nostra, ipsa beatitudo & gloria nostra, non tenent te Iudæi, & non es eis vita, quia te perdere festinant, nec volunt ut tu cum ipsis & ipsi tecum maneant & vivant. cur hoc inimici sunt. Ego vero amicus tuus esse cupio, imo servus, ideo supplex oro, ut tu mecum maneat & quidem in omnem æternitatem inseparabiliter, ut tu me & ego te teneam ligatum amoris funibus indissolubilibus, & vinculis charitatis æternis, ut tui memor, beneficiorumque in me collatorum semper tibi gratias agam in terris, & fruatur tui facie ad faciem in cœlis.

§. 70. *Et ecce unus ex his qui cum Iesu erant, extendens manum exemit gladium. v. 51.*

Hoc Evangelista tacito nomine Petri Apostoli ait: quod extendens manum, exemit gladium? At Lucas nominat eum, uterque haud dubie certa causa, nec sine mysterio aliquo, dicam quid mihi videatur. Qui nomen taceat intuitus est personam Petri sacram, erat enim presbyter paulo ante creatus in Cæna Domini per Pontificem nostrum Iesum Christum, Dominum nostrum, & inter Apostolos supremus Pontifex futurus Christi Vicarius & claves regni cœlorum accepturus ut quidquid solveret in terris, vel ligaret id esset, quoque solutum in cœlis, vel ligatum, ideo non dicebat ipsum per se uti gladiis temporalibus sed spiritualibus in patientia & longanimitate, exemplo Christi summi Sacerdotis & Magistri sui. Alter Evangelista qui nomen exprimit intuitus fuerit personam privatam Petri, cui pro-

defensione magna inculpatâque tutela liceret vim facientes iniustam arcere, ideoque non taceretur zelus eiusdem & ardor hisce verbis, extendens manum eximens gladium, percutiens servum principis Sacerdotum, & amputans auriculam eius,

Domine vidisti affectum Petri Apostoli tui dilecti cum effectu, & licet in tuâ ipsius & suâ personæ defensionem inculpatam gladium extra-xerit, tu tamen inhibuisti zelum eius, quia Ecclesiasticus erat, cui, qua tali, aliis mediis prius incumbit superare hostes suos & Ecclesiæ Dei, nempe per brachium sæculare imploratum. Interea mitissime Iesu, exemplar longanimitatis & fortitudinis obsecro te da mihi in ira temperamentum sanum, ut nunquam jura potestate mea lædam, semper ex juris & legum canonum-que præscripto vivam, sentiam & loquar, ut tecum pacem obtineam sempiternam.

§. 71. Et percutiens servum Principis.

Petrus parum cautus & memor status sui Ecclesiastici, vel certe opinione defendendi inculpatâ tutelâ Magistrum accensus, vi etiam promissionis suæ obstrictus considerans periculum, & milites circumdantes Jesum, instar rapacium canum; Agnum Dei mansuetissimum, inter invidas ac tetras rugientium leonum ac luporum unguas constitutum videns, corde est afflicto & amaro, dum alius pilos capitis, alius barbæ vellebat. Hic pectori ille collo manus injiciens iste in faciem alius in collum, atque alius in caput sanctissimum pugnos fortasse impingebat, quidam in amabilem illius faciem sputa congerebant & manus benedictas colligabant, & uti quidam referunt, gravem catenam ferream iniecerunt in collum eius. Erat enim illâ hora data potestas non solum hominibus malis, sed cunctis dæmonibus in Christo faciendi quæ Deus permissurus esset, ut mirum non sit si graviora & plura quam quæ scripta sunt, acta meditemur. Enimvero, quis explicet blasphemias, contumelias & exprobrationes, fœda probrosaque cognomina quibus impugnabatur dulcis dominus. Hæc videns & audiens Petrus continere se non potuit quin vindictam sumeret, & se unum contra tot armatos milites audax Christi miles opponeret, arripit igitur gladium & percutit cæco impetu & auriculam servi Principis sacerdotum; haud dubie cum parte pilei & vestis, abscindit.

O Generosissimus animus & si delis Domino suo! etsi forte intempestivus pugnator, excusabilis tamen es, quia defendere voluisti Magistrum & liberare ipsam è manibus rugientium leonum ex charitate, & propriam tuâ personam in tam gravi tentatione conservare.

Quia